

Si ergo ab æqualibus demantur æqualia, scilicet anguli super basim, relinquentur per tertiam cõmunem sententia, anguli sub basi æquales, quod è rat demonstrandum.

VNDECIMA PROPOSITIO.

Si duæ rectæ lineæ se secent, angulos contrapósitos facient æquales.

Sint duæ lineæ rectæ ab & cd secantes se in pũcto e . Dico angulos contrapósitos, hoc est, aec & deb uel ceb & dea esse æquales. Vocamus autẽ angulos contrapósitos, qui nullo communicãt latere. Per præcedentem enim duo anguli aec & ceb æquantur duobus rectis, similiter duo anguli deb & bec rectis duobus pares sunt. Quapropter per primam petitionem duo anguli aec & ceb aggregati, æquales sunt duobus angulis deb & bec simul sumptis. Ergo ab æqualibus ablato angulo ceb communi, erunt per tertiam communem sententiam residui aec & deb inter se æquales. Non aliter probabis duos angulos ceb & dea inter se æquales esse.

DVODECIMA PROPOSITIO.

Omnis trianguli uno latere producto, extrinsecus angulus utrolibet intrinseco sibi opposito maior erit.

Sit triangulus bac et protrahatur latus ba in directum usq; ad f . Dico angulum fac extrinsecum, maiorem esse utrolibet angulo sibi intrinseco

